



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 7. An Parochus potest subditos audire, & absolvere in alia Diœcesi, in
quá non est approbatus[?]

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Resp. Potest, etiam à casibus ibi reservatis, sed non reservatis in Diœcesi in quâ est approbatus; nisi eos noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim migrasse. Ita declaravit, Clement X. constit. *Superna* his verbis. *Posse autem Regularem Confessorem in eâ Diœcesi in quâ est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsâ reservatis, non autem illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim, pro absolutione obtinenda, migrasse.* Idem dicunt de Sacerdote sæculari approbato ob tacitum Episcoporum consensum communi consuetudine confirmatum. Hinc mercatores, litigantes, milites, peregrinantes, &c. possunt absolvi à Confessariis loci ubi confitentur: nam hi jure communi, vel ex consuetudine tacite à Superioribus approbata, sunt veluti subditi Episcopi loci, in quo versantur, quantum ad Sacramenta, excepto Ordine. Quod si casus non sit reservatus in Diœcesi Pœnitentis, sed solum in Diœcesi Confessarii, hic non potest illum absolvere; nam per reservationem ei sublata est potestas absolvendi à tali peccato. Præterea Reus debet judicari, secundum leges & consuetudines loci, in quo judicatur. Idque totum constat etiam ex recepta consuetudine.

Q. 7. An Parochus potest subditos audire, & absolvere in alia Diœcesi, in quâ non est approbatus?

Cc 5,

Resp.

Resp. Ex communi sent. potest etiam licitè, modo id fiat absque scandalo: quia habet ordinariam in proprium subditum jurisdictionem, ab approbatione non pendentem: jurisdictione autem in foro pœnitentiæ, cum sit voluntaria, non contentiosa, nec requirat strepitum fori, exerceri potest extra proprium territorium.

Q. 8. *An Secularis vel Regularis approbatus generaliter in una Diœcesi potest valide absolvere in alia Diœcesi subditum Diœcesis, in qua est approbatus?*

Resp. Neg. Ita Clement X. constit. *Superna* ubi decernit: *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Sacularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi religiosi jam fuerant approbati.* Nam jurisdictione delegata pendet in sui exercitio ab approbatione Episcopi loci, in quo audiuntur Confessiones.

Q. 9. *An Parochus extra Parochiam suam potest valide absolvere subditos alterius Parochia, cum facultate proprii talium Parochi?*

Resp. Non potest sine licentia Episcopi expressâ, vel tacitâ; nam Parochus unius Parœciæ non fit Parochus subditorum alterius Parœciæ per delegationem proprii illorum Parochi; & Parochorum jurisdictione pendet ab Episco-